

134

132

138

128

143

123

183

083

233

033

Ende

Anfang

119

parte rostri sunt duo foramina, per quae potest homo caput
emittere, et per ea emittuntur funes anchorarum et per ea
anchorae attrahuntur, nec mare potest per illa foramina intrare,
nisi quando sunt ingentes tempestates. Rostrum autem prorae
est altum extensum, a quo venter navis reflecti incipit contra
mare. Habet etiam prora proprium velum, dictum dalum, quod
vulgariter trinketum nominant; et habet subtus unam cameru-
lam, in quam funes et vela trajiciuntur, et in ea dormit prorae
praefectus, quia proprios habet officiales, qui nonnisi in ipsa
habitant et disponunt ibi agenda, et est locus pauperum et
miserorum, quos servi prorae recolligunt. Pendent etiam ab
utraque parte prorae anchorae ferreæ magnæ, suo tempore
in mare projiciendæ. Puppis alia galææ extremitas posterior,
non est acuta contra mare sicut prora, nec habet rostrum sed
est lata ab alto deorsum in aquam recurva et multo altior
quam prora, habens aedificium altum quod nominant castellum:
dependetque ab ea in mari temo sive gubernaculum, supra quod
in cancellato tabernaculo residet gubernator clavum manu
tenens. Habet autem castellum tria interstitia: supremum,
in quo gubernator est et stella maris, et gubernatori intimans
maris stellæ dispositionem, et inspectores siderum et ventorum,
ac maris viarum ostensores; medium, in quo est tabernaculum
domini patroni, et nobilium suorum consulum et commensa-
lium; infimum ubi est locus foeminarum nobilium nocturno
tempore, et reservatorum thesaurorum domini patroni et hoc
habitaculum non habet lumen nisi per foramina superioris
pavimenti. Ad utrumque latus puppis dependent scaphæ
sive barcae: una magna, alia parva, quae in mare mittuntur
in portibus, et in eis homines educuntur, et ad latus dextrum
sunt gradus, per quos in mare est descensus in barcas, et
ascensus: et habet etiam proprium velum, majus quam velum
prorae, quod nominant mezavala id est medium velum: latine
dicuntur epidromus. In eo etiam semper est vexillum
erectum, ad discernendum ventorum varium flatum. Extra
habitationem puppis post duo transtra ad latus dextrum est
coquina non operta, et sub coquina est cellare, et a latere
coquinæ est stabulum bestiarum mactandarum, et stant simul
oves, caprae, vituli, boves, vaccae et porci; et consequenter

